

vestre quia vestro signo munite, michi allate fuerunt, nimio zelo zelatus sum pro iniuria sancte Romane ecclesie vestrique nominis, sub quo ille littere signate fuerant, quoniam omni dolo, omni mendacio omnique fallacia plene fuerunt, et inde magis scandalisatus sum et conturbatus, quod ipse littere omni veritate carebant et tamen domini apostolici bullam habebant. Sed licet ita fatear, Romane tamen puritati nullam omnino fallaciam imputo, sed graviter ut nefas pacior, quod quelibet persona tam impudens, ymmo tam imprudens fuerit, ut tam apertis mendaciis non horruerit fedare aures vestras vos seducendo et me precipitare festinando. Ad hec dominus papa ait: Recita nobis ipsas litteras, ut sciamus, an merito fueris conturbatus. Tunc abbas recitavit¹:

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Hariulpho Aldenborgensi abbati salutem et apostolicam benedictionem. Non est laudandum, quod altare contra altare erexeris et a fidei servo dissentiens commissum tibi talentum non augmentare, sed in terram obruere studueris.² Itaque quoniam monachus sancti Medardi Suessionensis quondam fueris et a tua professione recedens cellam in prioratum tibi commissam abbaciam tua tibi astucia feceris et sancti Medardi monasterium tua obedientia suaque ecclesia spoliaveris, mandamus tibi auctoritate apostolica, ut deposito baculo abbati sancti Medardi te ut suum monachum sibique iure obedientem celerius restituas et capitulo fratrum sancti Medardi ecclesiam quam tulisti restituas.

Ecce littere, ymmo ecce gravia mendacia, que luce clarius patet numquam ita fuisse. Nam sancti Medardi monachus numquam fui, cellam vel prioratum a capitulo vel ab abbatibus sancti Medardi numquam accepi, a monasterio sancti Medardi numquam vel unius oboli quadrantem tenui aut possedi. Salutem vero et benedictionem, que primo versu littere sonuerunt, amavi et adoravi atque super aurum et topazion dilexi³, quoniam hiis anima mea impinguata plurimum exultavit⁴. Sed qualiter ferre potui vituperium tam immane et iniuriam tam importabilem, ut viderem vel nossem sacras aures^a summi pontificis sic infectas sibilo mendacii, ut de culmine Romani apicis transmitteret litteras in ultimos fines Flandrie regionis, litteras dico veritate vacuas, falsitate plenas, obprobrium mittentis ubique resonantes? Tunc dominus papa ait: Eya, frater,

^a) *auras*.

¹) J.L. † 8099 a zum J. 1140. ²) Matth. 25, 21—25. ³) Ps. 118, 127.

⁴) Ps. 34, 9. Isai. 61, 10 und Prov. 11, 25. 13, 4.